

Hoc volumen continet

1. de Necessitate Physicæ in praxi medicæ
2. Historia variolarum epidemicæ grassantium
3. de Frigiditate fixæ mirabili efficacia.
4. de causis caloris naturalis et præternaturalis
5. Natura morborum medicatrix mechanica.
6. Affectus hereditarii, illorumq. origo.
7. Historia febris malignæ epidemicæ petechizantis.
8. Animus sanitatis & morborum faber.
9. De potentia ventorum in corpore humanum
10. de mentis morbis.
11. de mercurio et Qualitatibus selectis
12. de præcipuis studiorum morbis.
13. Theses selectiores ex philosophiâ & medicis.
14. De terebintina.
15. de regimine prægnantium.
16. de pleuritide & peripneumonia.
17. de membris fractis.
18. de puluerum permutatoriorum usu & abusu.
19. de diarrhoea in febribus malignis salutari.
20. de remediis antidontalgicis
21. de opiatorum noua & mechanica operandi ratio.
22. de podagra retrocedente in corpus.
23. Motus optima corporis medicina. **Xc. 32.**
24. de morbo nigro Hippocratis
25. Sacchari historia naturalis & medica.
26. de peregrinationibus sanitatis causa instituendis.
27. observationes prædicæ circa febres tertianas.
28. de prudenti medicamentorum continuatione.

29. de conuersione morbi benigni in malignum.
30. de caryophyllis aromaticis
31. Aphorismi quidam praedicti.
32. Pulsum theoria & praxi
33. de opū correctione genuina & usu.
34. de morbis foetuum in utero materno.
35. de generatione omnium morbosorum in corpore
36. de morbis incongruis
37. Pullus gallinaceus in femina cachectica formatur
38. de atrophia.
39. de salubritate febrium.

40.

1. d
2. #
3. d
4. de
5. N
6. A
7. Hi
8. A
9. De
10. d
11. d
12. o
13. -
14. '
15.
16. o
17. o
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.



I



1. d
2. #
3. d
4. de
5. N
6. A
7. H
8. A
9. De
10. d
11. d
12. o
13. -
14. '
15.
16. o
17. .
18. .
19. .
20. .
21. .
22. .
23. .
24. .
25. .
26. .
27. .
28. .

Dilectissimo Filio
Friderico Ernesto Hoffmanno
magne Spei iuveni, medicinae
cultori, industriæ.
in incrementum Auditorum suorum
commendat et offert hunc librum
Auctor
Anno mdcclxxiii.
M. Mijc.



2. D. B. V.
DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA

De

CAUSIS CALO-
RIS NATURALIS ET
PRÆTERNATURALIS
IN CORPORE NOSTRO,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN.

FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENB. AC ELECTORATUS
HEREDE, & reliqua,
CONSENSU

GRATIOSISSIMÆ FACULT. MEDICÆ,
IN ACADEMIA ELECTORALI FRIDERICIANA
SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi, Excellentissimi atque Experientissimi

DN. FRIDERICI HOFFMANNI

Med. Doct. ejusdemq; ac Phil. Nat. P. P. Med. Elector. Aulici,
PATRONI, PRÆCEPTORIS AC HOSPITIS

AD CINERES USQVE DEVENERANDI,

die XXXI. Jul. MDC IC. H. L. Q. C.

Publico Eruditorum examini exponet


AUCTOR

WOLFG. FRIDER. HIENLINUS, Esling.

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI. Acad. Typogr.

4.
3






DISPUTATIO PHYSICO-MEDICA
 De Caloris Naturalis & Pectinis
 PRAEMIIUM



primis ratione omnium Medicorum
 pietissimi promittunt: vitam
 consistere in calore; in hoc indivi-
 dus & perpetuus calor vitæ co-
 mes est, ut etiam nullum repe-
 rit licet animal vivum, ubi non &
 calidum quoddam deprehendatur,
 Pectus hinc ipsi incantat Visceribus
 calorem esse vitæ canam, & calidum quoddam substantia
 le animalibus innatum esse, quod actiones ac functiones
 vitales regat, dirigat atque moderetur. Quamvis autem ab
 hac sententia solido philosophandi ratione impedi, dice-
 damus, neque calorem pro substantia habeamus; atque
 non in fieri possumus, calorem vitæ indivisibilem junctum es-
 se, & necessarium eius existere effectum atque productum
 adeo, ut mors accedat & vita desinat, ubi calor omnis expi-
 taverit. Quocirca non immerito calor animalium vitalis
 principum soler, nec sine ratione, neque calor proficiscitur. Vult
 a motu vitæ autem nil aliud motus est, tam in istis partibus
 fluidarum corporis nostri, quam progressivus in circuitum
 abiens, ut adeo per motum calorem calorem necessarium produ-
 cat, non quidem ut accedens, sed ut necessarius quidam
 vitæ

WOLFF FRIDER. HENNING, Helsing.
 THE CHRISTIAN ALBRECHT UNIVERSITY AND LIBRARY





DISPUTATIO PHYSICO-MEDICA
De Causis Caloris Naturalis & Præterna-
turalis in corpore nostro.

PROEMIUM.



ptimâ ratione olim Medicorum sa-
pientissimi pronuntiarunt: vitam
consistere in calore; utpote indivi-
duus & perpetuus calor vitæ co-
mes est, ita, ut etiam nullum repe-
rire liceat animal vivum, ubi non &
calidum quoddam deprehendatur.
Persuasi hinc ipsi fuerunt Veteres,
calorem esse vitæ causam, & calidum quoddam substantia-
le animantibus innatum esse, quod actiones ac functiones
vitales regat, dirigat atque moderetur. Quamvis autem ab
hac sententia, solidiori philosophandi ratione imbuti, disce-
damus, neque calorem pro substantia habeamus; attamen
non inficiari possumus, calorem vitæ indivulse junctum es-
se, & necessarium ejus existere effectum atque productum,
adeo, ut mors accedat & vita desinat, ubi calor omnis expi-
raverit. Quocirca non immerito calor animantium vitalis
nuncupari solet, nec sine ratione, utpote calor proficiscitur
à motu, vita autem nil nisi motus est tam intestinus partium
fluidarum corporis nostri, quam progressivus in circulum
abiens, ut adeo per motum talem calor necessariò produ-
catur, non quidem ut accidens, sed ut necessarius quidam

vita conservandæ utilissimus effectus. Calor enim, qui concipitur in humoribus machinæ nostræ, ad vitam tuendam, servandam atque defendendam pernecessarius est, hoc ipso enim fluxilitas humorum perficitur, spirituaſcentia seu generatio materiæ fluidæ tenuissimæ expansivæ procreatur, pori emunctoriorum servantur aperti, ut incongrua & superflua peropportunè queant evacuari. Calor porro est, quo natura utitur ad amoliendum illud ipsum, quod corpori nostro minatur ruinam atque corruptionem: Brevibus, calore optime pugnatur contra læsiones causasque morbosas, quæ mediante hoc vel subiguntur, corriguntur, aut quantitate si peccant expelluntur, unde nullus propemodum visitur motus morbosus, à natura bonum in finem, nempe ad tranquillum & sanum statum corporis recuperandum institutus ac accommodatus, ubi non excessivus quidam calor excitetur. Omnibus enim ferme morbis febriculosa quædam commotio jungitur, & nullus ferme est, qui non absolvatur vel terminetur calore præternaturali. Cum itaque tam utile & necessarium vitæ, sanitatis & morborum sanationis instrumentum sit ipse calor, operæ utiq; erit pretium, paulo curatius majorique diligentia ac sollicitudine inquirere in ejus ortum ac causam, ut hac ratione Medicus in servanda sanitate & amissa recuperanda habeat & noscat differentias & causas hujus, & quemadmodum ille ipse prudenter vel excitandus, vel moderandus atque temperandus sit, ut naturæ omnia fiant convenientia. Constitui itaque mecum utilissimum hoc thema in præſenti ventilare, atque à quibusdam difficultatibus & dubiis liberare, sanctissime à Deo immortali precans per ejus auxilium felices successus.

§ I. Prima omnium autem eaque utilis meditatio erit, dispicere quid calor in genere sit, qui rebus etiam inanimatis

matis competit, & à quibus producatu-
 mus itaque, omnem calorem, quicumque etiam sit, nasci
 atque progigni à motu. Nimirum existit in natura fluidum
 quoddam catholicum, tenuissimum, quod aereo-aetherei
 nomine appellant, in quo omnia corpora solida tenentur vel
 natant, quod omnium poris ac interstitiis etiam solidissi-
 morum interspersum est, atque motu vehementi, intesti-
 no & rapido agitatum, incalescit, sive sensationem caloris
 mediante tremulo motu fibrarum nervearum in mente no-
 stra producit, ut adeò calor fluidi istius tenuissimi affectio
 sit, quod quo vehementiori intestino motu exagitur, eo
 majoris caloris gradum igneum, flammeumque suppeditat.
 Compertum verò per experientiam habemus, mate-
 riam hanc subtilem caloris & ignis principium, in calidum
 vel etiam igneum motum originè abripi duplici potis-
 simum modo, vel quando corpora juxta se invicem allidun-
 tur, colliduntur, atteruntur, & mutuo impulsu in se & juxta
 se invicem agunt, vel quando particulae aetherae corpori-
 bus fluidis ac solidis incolentes, vi quadam expelluntur, uti
 videmus in fermentationibus, solutionibus, ebullitionibus.
 Quod primum attinet, perspicimus durissima duo corpora
 uti chalybs & lapis pyrites vehementer invicem collisa, scin-
 tillulas, quae nihil nisi chalybis particulae minimae motu celer-
 rimo fusae adeoque ignitae sunt, sicuti egregia per microscopi-
 um observatio est, produci. Magis autem adhuc admi-
 ratione dignum est experimentum curiosum atque perpau-
 cis notum, dum baculus ferri, solo motu, ictu ac percussio-
 ne violentiori saepius repetita mallei super incudem, non
 tantum calidus sed & ignitus reddi potest. Lignum solo mo-
 tu in carbones verti posse, res tornatoribus notissima, ne-
 que tam adeo rarum experimentum est, dum currus per
 motum

motum rotarum circa suam axim concitatisimum, æstivo, sicco tempore accensus visus fuit.

§ II.

Deinceps Calor imo etiam flamma nascitur ex agitatione rapidiori, expulsionem ætheris ex corporum poris; unde res vulgaris experientia est, lapides extreme ustos & calcinatos aqueo affuso liquore intensum in modum incalescere cum stridore, strepitu, bullularum emissionem, cujus phaenomeni ratio non aliunde peti potest, quam ex violenta materiae aereo-æthereæ commotione. Siquidem igne extremo lapides dum macerantur, omne tam fluidum quam humidum, & quodcunque mediante ignis motu volatile fit, in auras ejicitur, unde multa spaciola vacua efformantur, quæ particulis aereo-æthereis mobilissimis replentur & occupantur, quando jam affunditur aqua, hæc gravitate sua statim ingreditur istos poros & exinde expellit magno impetu ac agmine materiam illam subtiliorem, propter impenetrabilitatem corporum etiam tenuissimorum, æther hinc egressus, per aquam producit bullulas, motumque tumultuarium & ex consequenti calorem. Idem fit, quando caput mortuum vitrioli vel sal alcali extremo igne calcinatur, ipsisque mox aqueus liquor adjicitur, ubi notabilis calor deprehenditur. Neque hinc ex prædictis latere potest ratio, quare spiritus corrosivi acidi v. g. spiritus Nitri, Salis, Aquafortis; cum mineralibus vel etiam metallis e. gr. Venere, Marte, Luna, Antimonio, Regulo antimonii, Mercurio in vicem confusa, conflictum calidum exerant vehementissimum. Etenim nullum corpus etiam firmissimum destitutum est suis poris, pro quorum amplitudine & multitudine propria & diversa corporum gravitas in fluidis emergit, hisce poris inhabitat fluidum illud universale, mobilissimum, quod si celerrime ejicitur,

occu-

occupatis poris ab alio congruo fluido, quod ratione particularum diametris pororum corporis respondet, quaquaversum corpora, illorumque latera dimovet, atterit, & ita intensum excuscat cum strepitu & vaporis exhalatione calorem. Res autem adhuc magis videtur mirabilis, quando oleum vitrioli, quod & actu & potentia frigidum aestimatur, glacie injecta incalescit. Rationem hujus phaenomeni haec apparet. Oleum vitrioli concentratissimum, & phlegmate suo penitus privatum sal acidum est, quod per materiam subtilem copiosissimam in fluore persistit; quando affunditur aqua, vel glacies injicitur in aquam colliquescens humidum in poros salium lubentius recipitur, unde non sine impetu & collisione materia subtilior ejicitur, quae vehementius mixturam commovens producit in calescentiam.

§ III.

Dictum fuit in superioribus, calorem omnem, praesertim igneum ex motu rapidissimo aetherei fluidi, siue ille per mutuam collisionem corporum durorum, siue per ejectionem ex poris corporum excitatur, pronasci; ex quo jam liquido consequitur, illa corpora, quae fluidum hoc tenuissimum actuosum magna in quantitate possident, ad calorem vel flammam edendam esse omnium aptissima; talis jam indolis ac naturae sunt omnia sulphurea, pingvia, resinosa, oleosa. Horum autem intimam mixtionem & crasin si intuemur, patebit, omnia inflammabilia constare, ex terra alcalina tenuiori, sale acido, paucio humido, copiosissimoque aethere, fitque ex his talis mixtura, quae non tantum facillime motum igneum vel calidum ab alio corpore jam ignito vel ejus flamma recipit, verum etiam, quae motu hoc disiici ac dissolvi penitus apta est. Quare perspicuum est, spiritum nitri, qui magnam sulphurei principii

cipii recondit quantitatem, longe majorem in ebullitione producere æstum, quam spiritus salis vel vitrioli, item corpus martiale vel venererum, quoniam metalla sulphurea sunt, longe magis calidiorem edunt effervescentiam; quam metalla substantia sulphurea privata. Curiosissimum experimentum est, olea destillata præsertim cariophyllorum, ligni sassafras, terebinthinæ, cum spiritu sulphureo concentratissimo acido permixta, intensissimum motum, calorem & denique luculentam flammam producere, oleo coagulato in resinam firmam, stabilemque, sicuti id vidi apud Excell. Dn. Præsidentem. Eodem modo spiritus nitri rectificatissimus cum spiritu vini summe dephlegmato confusus, calidam quandam ebullitionem excitat.

§. IV.

Quod autem sulphurea corpora insignem quantitatem ætheris calidi possideant, patet ulterius ex motu intestino fermentationis quem subeunt, siquidem sulphur fermentationis matrix & materiale principium est, adeo ut cuncta fermentescibilia, sint sulphurea ac inflammabilia, sive complectantur partes tenues terreas alcalinas, subtile acidum, phlegma & copiosum ætherem. Etenim æther intra poros incarceratus & compressus elastica sua vi expansiva nititur egredi, qua ipsa cohærentia corpuscula viscida a se inuicem disiicit, claustra ipsorum dirumpit, cum molis augmento & intumescencia, præsertim si adjuvetur circumfluo æthere & atmosphæra calida, à quo impulsu, resolutione, comminutione particularum dependet postea spiritualiscentia seu spiritus inflammabilis, qui non nisi sulphureum oleosum principium est intime resolutum. Hæc fermentatio dicitur vinosa, & locum obtinet in succis vegetabilium dulcibus temperatis, qui ad flammam suscipiendam, si siccati fuerint, apti sunt. Quodocunque salacidum deficit, & terra sulphurea

phurea majorem volatilitatis gradum obtinet, fit fermentatio putredinosa, quæ cum foetore sal volatile sulphureum exspirat, uti principaliter fit in partibus animantium.

§ V.

Præmittere hæc necesse fuit circa caloris originem ac genesis in genere, ut feliciori successu postea progredi queamus, in causis inquirendis caloris, qui vivis animantium inest corporibus. Si vero ulla res torfit atque exercuit nobilissima Medicorum ingenia, si ulla maximis difficultatibus, dubitationibus pressa atque stipata est, certe est doctrina de causis caloris, qui secundum vel præter naturam afficit nostrum corpus. Non fert instituti nostri modus ac ratio, diversas omnium circa hanc rem sententias, justa serie ordineque in præsentem enarrare, persequi atque examinare, nobis tantum suffecerit præcipuas & à Recentioribus potissimum receptas breviter strictimque attingere. Notum est Sylvianæ Scholæ addictos, à quadam effervescentia vitali, ex congressu lymphæ in cordis sinibus suscitata, caloris animalis ortum ducere atque derivare. At verò si rem probè expendimus, primum omnis effervescentia non naturæ sed artis opus est, illa enim nec excessiva facile & sponte producit, multò minus illa ipsa denuò conjungit, ut adeò neque purum nec manifestum alcali, neque purum sibi relictum acidum, nisi forsan in prima regione ex assumptis congestum fuerit, in animantium succis sit reperibile. Deinde etiam experimento compertum est, bilem cum acido, nisi sit concentratissimum, nullum effervescentiæ vestigium edere. Tacemus nec patere & demonstrari posse viam, qua bilis, in hepate secreta, transeat ad cordis viscus.

§ VI.

Alii ad calorem demonstrandum, in animantibus

B

flam-

flammulam quandam, in cordis ventriculo sinistro gliscen-
tem, vitalem statuunt, quæ aeris pabulo continuò opus ha-
beat, & sanguinem transeuntem calore blando afficiat. Verum
nec hæc sententia admitti poterit, utpote docet experien-
tia lucem in humido, multò minus flammam non posse
subsistere, cum humidæ aqueæ particulæ motum illum
æthereum vorticosum, vehementem, qui ad lucem vel
flammam sistendam necessarius est, admodum labefactent im-
pediant vel plane etiam destruant, inde patet ratio, quare
phosphorus solidus, ex urina paratus, in aere sereno luci-
dissimus sit, in humido autem, frigido & denso lucem ac
splendorem tantum non emittat, siq; in aqua ponatur, iste
plane perit. Ita etiam phosphorus secundum descriptionem
Balduini, ex spiritu & creta paratus, & igne debite tracta-
tus, aërique humido diutius expositus, vel aquæ immer-
sus, lucidam suam naturam mox amittit, quæ omnia videre
contigit in collegio præsentis chymico *Exc. Dn. Præsidis.*

§ VII.

Cæterum curatius exposcere videtur examen illorum
sententia, qui à sanguinis fermentatione, sive corpusculo-
rum sanguinem constituentium intestina juxta se motione,
deducunt caloris animalis causam, dicunt nimirum, non
tantum in corde eique annexis vasis majoribus, sed præci-
pue in pulmonibus suscitari fermentativam quandam vita-
calidam sanguinis commotionem, quoniam primò hunc
in finem, mediante respiratione, ingens aeris subtilis ela-
stici copia fluori purpureo sanguinis communicatur, qui
tamen in omni fermentatione, principalis motor, agens
ac causa existit; secundò asserunt, materiam fermentesci-
bilem viscosam, variis heterogeneis partibus refertam,
præsentem esse, cum sanguis venosus in respectu ad arteri-
osum longe densior, viscidior sit, & ipse sanguis ex sulphu-
reis

reis aqueis, falsis, terreis, æthereis partibus compositus ac conflatus sit, & porro nec deesse huic negotio congruum fermentum, affirmant, quoniam chylus corpusculis ex tam differentibus alimentis, infinitam partium ratione figuræ, molis, tenuitatis, varietatem admittentibus refertus, in vena subclavia continuo sanguini admiscetur. Ulterius adesse capax satis spacium in corde arbitrantur, ut adeo omnia necessaria requisita ad fermentativam intestinam sanguinis motionem adsint, quæ deinde calorem, fluiditatem ac spirituascentiam corpori foeneret atque afferat. Quamvis itaque intestinam blandam, placidam, æquabilem particularum sanguinis commotionem non negemus, sed potius plenissimè illam adstruamus, pro conservanda vita, fluxilitate & spirituascentia promovenda, nullo modo tamen fermentationem talem, qualis artificialis vinosa est, admittere possumus, præsertim cum amplum sanguini spatium desit, neque humores, in vasis animalium reperti, ad fermentationem vinosam suscipiendam ullo modo existant idonei, multo minus autem à fermentatione, quamvis etiam vehemens sit, caloris causam in fluoribus derivare possumus, quando perspicimus, fermentationem in succis vegetabilium satis intensam calorem tamen neutiquam producere posse. Enim verò observamus in vegetabilibus recentibus, ad cumulum congestis, putrefactionem cum intenso calore, quod autem tantum fit in corporibus quiescentibus, neutiquam in fluidis & circulari motu agitatis. Calor autem putrefactorius hanc habet causam: æther nimirum incarceratus expansiva sua vi exitum affectat, cumque ob resistantiam majoris molis superjacentis, illum libere non inveniatur, refringitur, reflectitur, & quaquaversum agitatus incalescentiam producit, in liquidis vero & fluidis, quorum parti-

particulæ hujus ac perenni motu juxta se agitantur, cessante illa resistentia, calor ob hanc rationem produci nequit.

§. VIII.

Examinanda jam venit notabilis illa quæstio, an caloris incorpore nostro causa quærenda sit incirculari seu progressivo sanguinis motu, ut quo celerior sit circulatio, eo intensior quoque calor generetur & contra. Sententiæ huic qui favent, argumentum præcipuè inde mutuatur, quoniam excitato motu externo fortiori in membris, dum ambulamus vel currimus, citatior fit exinde sanguinis circulatio, quod partim ex pulsu celeriori, respiratione auctiori & deinde etiam corporis majori in calefcentia innotescit, adeo, ut contra frigus membrorum hyberno tempore, optima ambulatio vel corporis concussio sit medicina. Addunt quod cholericis in quibus sanguis teste pulsu validiori per cor & arterias citius transit, corpus habeant magis calidum præ illis, qui temperamenti sunt phlegmatici, melancholici, & quorum cruor longiori eget tempore ad circulandum. At verò neque in hanc sententiam, quasi ex cursu sanguinis celeriori nascatur vehementior calor, ita cito & plenarie concedere possumus, nullum enim nobis prostat exemplum, ubi ex motu progressivo, qui dicitur fluminum, alicuius liquidi, etiam vehementissimo progneretur calor. Aqua in antliis hydraulicis, per tubulos majores & minores magna celeritate ac vehementia percurrens, nunquam incalescit. Neque spiritus vini, vel oleum quoddam æthereum, repetitis utut vicibus per canales etiam minimos vehementi motu trajectum calorem concipit. Et ut dicamus quod res est, non tanta & celerrima sanguinis circulatio concipienda est in tubulis clausis iisque repletis, quam illa est, quando vena secatur, ubi cruor liberum inveniens exitum, insigni cum vehementia ejicitur. Nam uncia forte est sanguinis,

guinis, quæ reciprocè facta diastole & systole cordis, in ipsum infunditur atque effunditur, quæ postea liquidum in arteriis contentum, successive una particula aliam, ut unda undam trudente promovet ex arteria in venam & contra,

§. IX.

Hisce deductis, ut nostram jam de caloris vitalis causis interponamus sententiam, res poscere videtur. Est itaque firma stabilisque nostra sententia, quemadmodum omnis calor in tota rerum natura itaq; etiam ille, qui reperitur & viget in sanguine animantium adscribendus motui fluidissimæ substantiæ aereo-æthereæ est, ita ut quo major copia ætheris adsit, & majori vehementia in motum cieatur atque exagitetur, intensior quoque suscitetur calor. Quocirca nostrarum fore partium existimo demonstrare, insignem ætheris in sanguine nostro quantitatem hospitari, illumque deinceps à vehementia & variis modis in motum intestinum impetuosorem concitari. Diximus in superioribus, sulphur esse matricem caloris, ignis & lucis, quoniam omne sulphureum inflammabile corpus commixtum ex magna ætheris, terræ subtilioris & salinæ acidæ substantiæ copia est, & quando hic æther vividiori & vehementiori motu actuatur, terreas & salinas teneriores partes ad similem motum subeundum facile disponit, ut ita totum mixtum successive dissolvatur ac destruat. Quando autem examinamus sanguinem nostrum, in quo residet maxime calor, & per quem dispensatur ille in totius corporis membra, deprehendimus utique non tantum magnam copiam principii sulphurei inflammabilis, cum sanguis exsiccatus promptè flammam suscipiat, & per destillationem copiosum oleum suppeditet, verum etiam ætheris tenuissimi magnam proportionem in sanguinis poris contenti observamus.

Totum respirationis negotium eo videtur collineare, ut particulae quaedam aquae ex sanguine secederent, quod peragitur in expiratione; in illarum autem locum accederent tenuissimi aeris & ætheris partes. Perpetua hæc aeris tenuioris cum sanguine intimè facta communicatio, secundum nostram sententiam, præcipue vitæ, sanguinis spirituaſcentiæ, motionisque intestinae & circularis est fundamentum, adeo, ut respiratio, & communicatio talis æthereæ substantiæ, cum ipsa vita pari ambulent passu. Videntur pulmones hunc in finem maxime esse constructi, ut magnam portionem aeris subtilioris immittant in sanguinem transluentem. Sunt nimirum pulmones aggregatum quid ex levisſimis & tenuisſimis membranis, quæ extensa & sinuata, vesiculas orbiculares efformant, veluti in apum favis alveolos, ab extensa cera in parietes conspicimus, quæ talem habent situm & connexionem, ut ex trachea in ipsas, mox ex una in alteram patens sit aditus, & tandem desinant in continentem membranam; Videatur *Malpigh. epist. 1. de pulmon.* Has vesiculas aereas densa ramificatione circumdant, & quasi corymbis vinciunt ramificationes arteriæ & venæ pulmonalis. Vena hæc & arteria non est fistula continua, uti optime observavit *Willis. dissertatione de respirationis organo ejusque usu*; sed intercapedines & spatia dantur, in quo sanguis ex arteria pulmonali effluat, & quasi stagnet, antequam vena pulmonali absorbeat, unde fluit ratio experimenti, cur liquor coloratus, arteriæ pulmonali injectus, partim in cordis thalamum sinistrum, partim perveniam, partim in tracheæ ductum, in spumam conversus, eji- ciatur, luculento indicio, ipsum in transitu per pulmones, intra vasorum oscula harere, cumque particulis aereis intime misceri, quod experimentum non tantum *Willisus* loco citato

citato, sed & *Malach. Thruston.* in Diatribe de respirat. usu
 primario, ut & *Schwammerdammius* confirmat, *Exc. Dn. Praeses*
 quoque in publica anatomia cum successu hoc demonstra-
 vit. Perspicua etiam exinde fit via, qua sanguis in haemopti-
 cis ex pulmonibus expellitur magna in copia per arteriam
 asperam, dum nimirum pori arteriae asperae foras introspe-
 ctantes à sanguinis, facto ad pulmones impetu, nimis disten-
 duntur & aperiuntur. Clarior autem adhuc communicatio
 aeris cum sanguine fit, quando videmus in pulmonum per
 arteriam asperam facta insufflatione, & succedente firmiori
 postea horum constrictione, pulmones successive fieri iterum
 flaccidos, & concidere, quando cunque autem patula venae &
 arteriae pulmonalis orificia probe prius constringuntur, pul-
 mones ita insufflati, longissimo tempore permanent tumidi.
 Per hos poros itaque mediante inspiratione subtilior elastica
 tamen aeris portio, perpetuo sanguini venoso communicatur,
 qui primum longe densior, frigidior & nigricantior observa-
 tur, quam ille, qui ex pulmonibus ejicitur, & in sinistro cor-
 dis ventriculo atque arteriis continetur, adeo, ut non tan-
 tum modo coccineus ille color, sed & sanguinis fluiditas, ac ejus
 spiritalitas, à vividiori aetheris immixti motu, intra mi-
 nima sanguinis corpuscula, unice dependeat. Ulterius au-
 tem substantiae aetherae elasticae praesentia in sanguine ad
 sensum patet, quando ille in vasis rarefit & majus spatium
 occupat, quod ordinarie per calorem externum fieri solet,
 vel etiam quando condensatur a frigore & minorem locum
 affectat. Animalia viva aere sublato in vacuo mirum ex-
 panduntur, non aliam ob rationem, quam quod, externo ae-
 ris pondere detracto, in poris sanguinis contentus tenuior
 aer sese expandere & partes solidas extrorsum attollere ni-
 tatur. Tacemus in lympa, saliva, semine, ovulis aetheris &
 aeris portionem copiosam contineri, quod variis ratiociniis
 & expe-

& experimentis, si temporis & instituti ratio ferret, demonstrare possumus.

§. XI.

Postquam itaque sufficienter demonstravimus, materiam ætheream calidi intestini motus omnis causam, maxima in copia inexistere corpori nostro ejusque principaliori humori sanguini perpetuò ac jugiter mediante respiratione communicari, restat jam ut paulò luculentius determinemus, qua ratione calorem valdè sensibilem efficiat & producat in corporis nostri succis, partibusque solidis. Ostensum in superioribus fuit, à corporum præsertim sulphureorum, quæ insignem ætheris portionem incarcerati possident, mutua collisione, attritu & juxta se fortiori pressione enasci immoderatum, imo ferventissimum calorem. Est itaque & hoc loco nostra sententia, à particularum in sanguine sulphurearum præsertim mutua facta fortiori pressione, collisione, attritu, impulsu nasci atque progigni calorem, animantibus proprium, adeo ut omne illud ipsum quodcunque particulas sulphureas in sanguine adauget, quodcunque illas ipsas inter se coherentes à mutua cohesione magis vel minus divellit, atterit, impellit atque exagitat, calorem producat ac generet majorem.

§. XII.

Cum itaque calor sanguinis nostri dependeat à motu, hoc est nisu, quem ad contactum positæ inter vasa particulae mutuo exercent adeoque intestino & ille ipse increseat motu impulsorio attritivo; necesse jam est, ut perspiciamus, qua ratione iste impulsus externus fiat, unde dependeat & originem suam habeat, & quomodo major vel minor reddatur. Omnis autem motus per impulsione[m] requirit primò movens, secundo mobile, tertio organon, quo motus fiat, quarto vias, sive spatium, & quinto tempus. Impellens totius

tius

totius corporis nostri principale & primus totius machinae motor est tenuissima materia, ætherea, expansiva, elastica vi donata, quæ originaliter inexistit semini, & postea propagatur atque increfcit per continuam aeris tenerioris communicationem & intimam cum particulis subtilibus salino sulphureis alimentorum permixtionem, quæ materia nuncupari solet spiritus vitalis, vel animalis, & animæ est vicarius ac instrumentum, hæc sanguini primordialiter inexistit, ibique generatur, in cerebro autem ipsique annexis nervis separatim existens majori vi atque efficacia motus eminent atque se exerit; hæc itaque materia tenuis, elastica, spirituosa, per nervos influens, & derivata in cordis musculos, omnesque corporis fibras motrices, una cum sanguine calido, qui magnam hujus materiae quantitatem possidet efficit in aptissimis & geometricè constructis organis motum impulsorium, constrictivum systalticum, activum, quo mediante fluores corporis nostri in motu progressivo in orbem agitantur & conservantur, qui motus partim ad nutritionem præstandam, partim ad separationem inutilium heterogencarum partium perquam necessarius est ad vitam, & hinc merito vitalis dicitur.

§ XIII.

Organa vero sanguinem impellentia ejusque intestinum motum promoventia varia sunt, principale est cor, quod vehementissima systole sanguinem expellit in arterias; arteriæ per totum corpus innumeris ramificationibus dispersæ ipsum recipientes, motu contractorio denuo impellunt ipsum in venas, in quibus deinde partim pulsatione & pressione arteriarum ipsis subjacentium, partim fibrarum musculosarum interiacentium tensione ac renisu rursus impellitur, & ejus regressus versus cor promovetur. Alterum & mirus principale organon, sanguinem impellens, sunt,

C

mea

mea sententia, ipsi pulmones, per quos decies, imò magis celerius sanguis circulatur, quam per reliquum corpus, quoniam eodem tempore ex vena pulmonali, brevi canali, respectu totius systematis venosi tantum sanguinis effluit, quantum ex omnibus venis totius corporis simul sumtis in eos adfluit; impulsus autem hic præstatur per inspirationem, quando enim vesiculosum hoc corpus, mediante aere foras intro hausto, inflatur atque attollitur, ramificationes copiosissimæ arteriæ & venæ pulmonalis non tantum exporriguntur, ut sic sanguis eo melius & liberius angustos hoc canales recta via pertranseat, verum etiam distentæ vesiculæ simul comprimunt interjacentia vascula sanguinea, ut tali impulsu factò, sanguinis circulatio per pulmones fiat celerior, accedit quod fluidi ætherei calidi, sub actu inspirationis simul magna fiat admixtio, unde nullum dubium est, pulmones, ad calorem corporis conservandum & perpetuandum maximum conferre symbolum hinc fluit ratio, quare animalia calidiora præ frigidis, marinis, piscibus, peculiare sibi hoc vindicent, quod gaudeant pulmonibus, & respirent, item in calidioribus pulmones sint substantiæ compactioris ex vesiculis & meatulis innumeris ac exilissimis coagmentati, in frigidioribus autem magis vesiculosi; *qua de re videri potest celeberrimus Bobnius in circulo anatomico pag. m. 75.* Ut adeo falsa sit hypothesis, sanguinem in inspiratione ventilari ac refrigerari, cum potius hac ipsa citatori facta valde incalescat.

§. XIV.

Ulterius ad calorem in sanguine efficiendum accedit pressio, atque attritura sanguinis fluidi cum partium fibris solidis, unde quo rigidiores, densiores, imò quo angustiores sunt tubuli corporis nostri, per quos sanguis magna velocitate vehitur, eò major fit attritio, collisio, & vehementior

mentior excitatur calor. Videmus hinc, corpora, quæ strictiorem vasorum & cutis habitum possident, fibrasque habent spiritu animali turgidiores ac sensibiliores, longe acutiorem habere & persentire calorem, quam quæ prædita sunt habitu laxiori & spongiosiori, ibi enim non tanta fit, propter minorem resistantiam, attritura, nec tantus calor. Ex quibus omnibus hæcenus dictis consequitur, quò magis æther sanguini incolens, per impulsum cordis, arteriarum, pulmonum compressionem, partiumq; solidarum tensivum motum commovetur atq; exagitur, eò immoderationem fieri æstum fervoremque. Qua de causa pulsus validus, vehemens & frequens, respiratio citatior, partium solidarum strictura, præsertim sub exercitatione & motu membrorum, testantur de majori sanguinis calore, ejus circulatione atque cursu per tubulos corporis citatiori.

§. XV.

Hæc jam sufficiant de inquisitione caloris, qui fit secundum naturam in corporibus sanis; devolvimur jam ad indagandas atque investigandas caloris, qui præter naturam fit, excessivi, immoderantioris causas ac ortum. Plurimi præsertim ex Cartesiana Schola edocti, omnis febrilis & inflammatorii æstus causam, ex mixturæ sanguineæ turbatione arcessunt, existimantes, quando æther per poros sanguinis bene constituti & temperati recta via percurrit & transfluit, calorem tranquillum, placidum & naturalem generari, quando autem mixtura elementorum sanguinem constituentium fuerit turbata, particulis aliam posituram ac situm nactis, porisque inversis vel coangustatis, ætherem in placido suo transfluxu impediri, & propter situm pororum mutatum, majoremque resistantiam, ipsum vario modo refringi, reflecti sicque motum intensissimè calidum concipere. Verum enim verò tametsi caloris febrilis in-

doles utique dependeat à motu intestino aucto particulā-
rum in sanguine ætherearum, quaestio tamen est, an ille à
sanguinis mixtura turbata habeat suam originem, an verò
potius hæc effectus atque productum sit istius motus inte-
stini, vehementissimè calidi, dum nempe talismodi motu
humidum nutritioni & vitæ necessarium dissipatur, & soli-
dum in sanguine nimis dividitur & dissolvitur. Neque san-
guinis densitas atque crassities ætheris liberum trans flu-
xum impediens, causa esse potest immodici caloris, seque-
retur enim melancholicorum sanguinem, satis crassum, æ-
stum talem ac ebullitionem facile concipere debere, quod
tamen non accidit. Neque porro concedere possumus pe-
regrinam materiam ætheris sanguini intimatam, instar fer-
menti, immediata actione sanguinem pervertere ejus pu-
ros, situm mutare & ita producere calorem. Morbifica e-
nim virulenta tenuissimæ naturæ miasmata immediate
afficiunt spiritus ceu rectores corporis nostri, quibus in
crasi vel motu vitiatis; postea labem luunt exinde ceteri
machinæ humores

§. XVI.

Provolvitur jam ad examen illorum sententiæ, qui
arbitrantur, calorem febrilem derivandum esse, ex sangui-
nis motu progressivo celeriori, permoti maxime hisce ar-
gumentis, quod in statu naturali ex celeriori facta sanguinis
circulatione, sub membrorum validiori motu, labore, in
personis cholericis sanguinem fluidum possidentibus, habi-
tumque corporis strictiorem sanguis celerius circumvol-
vatur, magno intenso subsequente calore, quod partim ex
pulsu celeriori, partim ex respiratione aucta dijudicant, ex-
inde porro concludunt, quoniam in febribus, inflammati-
onibus & ubicunq; æstus præter naturam jungitur, ut pluri-
mum frequentior & celerior sit pulsus, inspiratio aucta, cir-
cum

cum ferri etiam sanguinem majori cum velocitate per tubulos corporis arteriosos & venosos. Ut autem totum negotium accuratius trutinemus atque examinemus, opus est, ut de pulsu, cui tota res videtur fundari aliquid subjiciamus. Notum est, pulsum celerem & frequentem unanimi fere sententia haberi pro febrili, ita ut signum quasi essentialia & pathognomonica subministret. Perspicuum autem est, vocabulum celeritatis & frequentia, ratione temporis si sumatur, valde coincidere sive unum idemque esse. Cum enim pulsus sit motus species, utique non alia differentia conveniunt pulsui quam motui, jam autem omnis motus percussione atque impulsu praesertim fluidorum corporum per solida ideoque & pulsus est vel magnus vel parvus, quando nimirum portio liquidi magna vel parva pro una vice in tubulos propellitur, vel est vehemens seu validus, vel debilis quando nimirum vis movens impellens constringens valida aut debilis est, vel est celer seu frequens & tardus, quando nimirum crebrius vel tardius brevi temporis spatio perficitur motus vel denique pulsus sicuti omnis motus ratione temporis aut vehementia est vel aequalis vel inaequalis, intermittens vel continuus. Ad has species omnes pulsus illorumque differentia debent ut opinor unicereferri, modo quod ratione graduum major vel minor & conjunctionis debeat distinctio observari. Ex hoc igitur fundamento concludimus, consultius pulsum vehementem & frequentem, febrilem appellari debere, si velimus confusionem evitare. Diximus itaque pulsum validum in statu naturali, si humores sint liquidi, via omnes liberae, efficere circumvolutionem sanguinis citatiorem, nam non potest aliter fieri, quam si cor systole vehementius constringitur, sanguinem in arterias eadem vehementia velocitate ejici: quae jam sanguine turgida novo, accedente extrorsum debent moveri, & ad

*o rae su
essentia i
abstracta
rae p
motu cer
tempore
go l. bre
cognosce
i. d. h. p
pudo ter
plurif
motu.*

majus spatium distendi, unde oritur diastole seu pulsus, quem deinde arteriarum subsequitur systole, ubi venæ & cor sunt in diastole, qua systole ex toto arteriarum processu tantum sanguinis quantum cordis systole in arterias fuit injectum, immittitur in ipsas venas, ex quibus deinde successive, dum una particula sanguinis alteram, ut unda undam trudit, prolabitur in cor, hinc mirum non est, si crebrioribus vicibus & magna cum vehementia fiat sanguinis ex corde in arterias ejectio, & ex illis rursus in venas ac ex his eodem modo in cor celerrime etiam ipsum sanguinem circumduci seu circulari, an autem in febribus, ubi pulsus vehemens & frequens, interdum etiam debilis & frequens est, circulatio eadem ratione æquabiliter per omnes partes velox sit non immerito potest dubitari.

§ XVII.

Nostra hæc est sententia: in omni calore morbofo, febrili, inflammatorio, sanguinis circulationem per totum corpus non esse æqualem neque semper citatiorem sed potius quoad maximam sanguinis quantitatem lentio-rem, & tardio-rem. Diximus antea, si viæ sunt liberæ, sanguis fluidus & impulsus vehemens & creber addimus hoc, si debita & reciproca proportio est inter systoles & diastoles motum, circumvolvi celerius cruoris massam, & fieri calorem intensum non autem febrilem vel præternaturalem. Quando- cunque autem viæ non sunt liberæ, neque reciproca & æquabilis ubique est systoles cum diastole cordis & vasorum circulus sanguinis non evadit æquabiliter citatior, impossibile enim est, si canales sunt obstructi vel constricti, & immisio quædam fluidi fiat in arterias per systolen cordis, non autem eodem gradu sanguis per systolen arteriarum infundatur in venas, promoveri sic satis celeriter sanguinis motum.

§ XVIII.

Iam autem nobis demonstrare incumbit, in illis mor-
 bis, qui excessivum enormem & præter naturalem calorem
 atque æstum junctum atque complicatum habent, sangui-
 nem non æquabiliter per totum corpus circulari sed poti-
 us in nonnullis partibus ejus motum esse plane impeditum.
 Primum autem in medium afferre placet inflammationes,
 quæ febres quasi sunt particulares, totamq; massam sanguinis
 si major illarum vehementia in febrilem æstum conjicere
 idoneæ sunt. Quis vero ignorat, partem quæ inflammatio-
 ne afficitur, immodico calore, rubore, dolore rumore ta-
 ctui resistente & vehementi pulsatione corripitur. Iam verò
 convenit ferme inter omnes Medicos inflammationis cau-
 sam esse obstructionem tubulorum capillarum arterioso-
 rum, à sanguine vel sero ibi sive ob abundantiam, sive ob
 viscositatem cōgesto, ejusq; impeditiori cursu factam. Ab hoc
 fonte promanant omnia omninò phænomena, ex quibus
 inflammationem adesse judicamus, primum enim efficitur
 tumor, quando sanguis per arterias majores cordis pulsu
 impellitur, & minores ramos atque apices spasmo vel con-
 strictas, vel humore obstructas pervadere nequit, adeoq; à
 venis non prompte recipitur, sed novo semper sanguine sub-
 vecto, arteriæ non tantum, sed & partes, quibus illæ ad-
 jacent, super justam naturalem molem tumescunt atque
 efferuntur, præterea in partibus inflammatis validissima arte-
 riarum pulsatio cum dolore sentitur, utpote sanguis, quan-
 do arterias minus pervias libere transire nequit, retroire
 cogitur, atque occurrens sanguini à tergo affluentem, inter
 duos contrarios motus pressus utriusque impetu vehemen-
 tissime in tunicas arteriarum impellitur, & cum insolenti
 fibrarum distractione ipsas extrorsum trudit ac urget, un-
 de violenta arteriarum diastole sive pulsatio exoritur, quo-
 motu

motu violento & distensione fibræ nervorum, fluidi elastici copia animatæ, valde pressæ molestissimū dolorem inducunt. Quamvis itaque inflammatæ partes, sanguinis copia turgidæ atque infarctæ sint, ipsæque in circulatione sua valde impeditus sit, nihilominus intensissimo æstu atque fervore corripuntur, videtur hic proficisci à nulla alia causa, quam quod sanguis, vehementer in arteriarum pulsatione pressus atque impulsus, item resultu & impetu sanguinis tam ex corde affluentis, quam ex partibus regurgitantis renisu agitatus atq; attritus motum intestinum, vorticosum, vehementissimum adeoque ferventissimum concipiat, particulæ vero æthereæ æstuentes denso agmine egredientes e poris ardorem non minus quam colorem rubicundum partibus affricent. Non autem hoc loco negamus, illud ipsum, quod valde in sanguine liquidum est calidumque, partim obstructionum claustra perrumpere, partim per laterales arteriarum ramulos apertos & vicinos eodem impetu continuato, per tubulos venarum ad cor pulmonesque deferri & citatissime moveri, sicque cor ad systolen & pulmones ad respirationem citatiorem adigere atque invitare, quamvis per vehementem licet impulsam pauca tantum sanguinis portio in arterias tumefactas effluat.

§. XIX.

Ardor ille, qui febribus intermittentibus associatur, à nulla quoque alia causa proficiscitur quam ab impeditiori ejus cursu per vasorum capillamenta in cute existentia. Quodcumque enim cutis pori, tubulique minimi excretorii, & vasa capillaria infarctæ atque repleta sunt flagnante materia, vel spasmò constricta & coarctata, sanguis primum à circumferentia ad centrum sive ad cor, interiora majora vasa atque pulmones defertur unde venæ cutis disparent, habitus corporis detumescit, & frigoris atque horripila-

ripilationis sensus observatur. Postea autem sanguis in magna copia circa cor pulmones & vasa majora congestus, ipsaque distendens, anxietatem oppletivam efficit, adaucta itaque respiratione, & invitato majori & impetuosiori influxu fluidi elastici nervei in cor, systole ejus producitur non tantum validissima sed & frequens, quam necessarius subsequi solet in eodem gradu diastole sive pulsus vehemens & frequens; eum nimirum in finem, ut ab onere premente liberetur, quoniam autem per vasa minima minus pervia sed constricta eadem velocitate sanguis peragrare nequit, ibi interceptus, majus spatium efficit, cutemque in tumorem attollit. Et quoniam ad obstaculum profectus cruor retroire cogitur, atque novo affluenti occurrit, inter duos motus veluti pressus, non tantum in arteriis expansionem violentiorem & crebriorem diastolen efficit, sed & exinde calorem, à mutuo illo insultu atque particularum sanguinis juxta se positarum impetuosa attritura, immodicum æstum cum rubore parit, quæ phænomena satis tempore caloris apparent. Ubi tamen iterum monemus non plenarie sanguinis cursum esse impeditum per totum corpus, sed utique concedimus, tenuissimam, fluidam, igneamque sanguinis portionem, partim obstructos poros perumpere, partim etiam per vasa aperta adhuc magna celeritate circulari, donec obstructionibus in cute remotis sanguini liber atque æqualis suus circulus restituatur quo tempore statim pulsus fit naturalis, respiratio & transpiratio liberior, calor immodicus attemperatur, viresq; prorsus eriguntur & ita finitur paroxysmus. Febres diarias à pororum cutis obstructione, transpiratione impedita, habitu cutis constricto oriri, adeoque circulatione sanguinis impedita generari in proptatulo est. Synocha in plethoricis & sanguineis à sanguine copioso ortum suum habet, qui per vasa minima extremarum partium in cursu suo præpeditur, unde regurgitans

D

gitans

gitans ad vasa interiora, anxietatem oppressoriam, dolorem dorsi, pulsationem arteriarum vehementem & inflammatorium tandem æstum ob eandem causam producit. Causus, & febris biliosa cholericæ ardentissima nullam aliam agnoscit causam, quam impeditiorem sanguinis per vasa minima motum, unde ordinariò tam in principio quam in exacerbationibus, horripilatio, sudoris & transpirationis suppressio adest.

§. XX.

Ulterius constat experientia, dolores graviores in partibus sensibilibus suscitatos comitari semper febriculosum simul sanguinis æstum, uti id clarum fit in dolore à calculo, in cephalalgia, arthritide; præsertim si personæ fuerint juvenilis ætatis, texturæ sensibilis & ingenii activioris, in tali vehementissimo dolore semper observatur pulsus validus & frequens, immodicusque calor, vigiliæ, capitis dolor, urina pauca & rubicunda est. Jam autem res dubitatione caret in parte dolente esse sanguinis impeditiorem motum, dum dolor vel a pressione distensioneque nimia membranarum, ob materiam copiosius stagnantem & in parte infarctam, vel à spasmodica fibrillarum nervearum constrictione, tubulorumque sanguineorum coangustatione perficitur, unde etiam gravis dolor ferme conjuncta habet eadem symptomata, quæ inflammatio, & dolor gravior semper fere in inflammationem transit.

§ XXI. Ad confirmationem nostræ sententiæ, quæ nimirum est, in omni immodico æstu, qui & febribus intermittentibus, acutis, inflammationibus, doloribus gravioribus jungitur, partim impeditiorem, partim inæqualem esse sanguinis circulum, & a nimia allisione, impulsione, pressione sanguinis incendium illud oriri, facit inter alia & ratio medendi hisce affectibus, hæc enim in eo tantum versatur, ut si a nimia sanguinis plenitudine impeditior circulatio fiat, sanguinis quantitas per venam detrahatur, quod in inflammationibus gravi-

viori-

rioribus, corporibus plethoricis, temperaturæ sanguineæ, juvenilis ætatis, remedium semper est præsentissimum, deinde maxima & unica ferme curandi inflammationes, febres, dolores spes, ponenda est in blandis diaphoreticis, sanguinem dissolventibus, discutientibus, poros aperientibus, ut hac ratione fluxili reddita materia stagnante, hæc in vasa iterum recipiatur, vel per cutis poros discutiatur & ita vitalis circulus restauretur, quo facto omnia pullulantia symptomata protinus exspirant. Talismodi autem remedia sunt illa, quæ sale subtili tenuique plus minus temperato, & sulphureo vaporoso tenui principio constant, quæ blande spirituum tumultuarium motum demulcendo, spasmus, frequentius principem & occasionalem febris causam, tollit, partim etiam materiam crassam fluidificando ac coagulum humorum dissolvendo radicem morbi præscindunt. Et hæc quoque est ratio, quare liquida copiose assumpta item nitrosa omnis generis indictis affectibus, quibus complicatur gravis æstus omnibus ferme palmam præripiant, dum nimirum fluxilitatem sanguinis & humorum per multum adaugeant & sulphureas igneas partes valdè contemperent, item cur
Exc. Dn. Præses pulvere, qui compositus est ex diaphoreticis terreis, nitro purificato & momento camphoræ, quem in aquis diaphoreticis v.g. aqua flor: sambuci, acaciæ, papav: rhæad: scordii, carduibened: debita dosi, tempore & ordine propinat, subministrata diætâ tenuissima & humida ac regimine addito temperato ad diaphoresin promovendam necessario, non solum hisce sed & aliis gravissimis malis securissime compediöse & felicissimo cum successu medeatur, uti sæpissime ab *Exc. Dn. Præside* apud lectum multorum ægrorum vidi & observavi. Fluit quoque tandem inde ratio, quare omnia externa calide discutientia, poros aperientia in doloribus, & inflammationibus præsentissimum ferant auxilium, contra omnia frigida, incrassantia, obstruentia malū mirifice exasperent ac adaugeant. Sed hæc jam hac vice sufficiant. Deo interim pro præstita gratia atq; auxilio immensas persolvo gratias.

Præclare-docto Domino Respondenti

S. P. D. PRÆSES.

Sapienter Cicero Lib. de officiis: *Propria est homini veri investigatio
atque inquisitio.* Fertur enim naturâ sua humanus animus ad amo-
rem & scientiam veri atque aversionem falsi. Ea namque veri
indoles est, ut præcipuam nostrî partem, mentem, mirifice perficiat,
serenet atque nobilitet, inque ipsa voluptatem incredibilem
accendat: cum ex adverso omnis error tristitiam afferat, men-
tem obscuret, corrumpat atque confundat. Utinam autem mor-
tales æqualibus à natura viribus verum à falso discernendi essent in-
structi, vel mature satis ingeniis à sapientiæ doctoribus monstraretur
via, evitandi errores illorumque illecebras. Præcipuum ego credidi er-
rorum semper fontem, quod docti non ex ipsis rebus & illarum acti-
onibus prius sensu perceptis sapere malint, quam potius inversa via
ex propriis quas sibi formant de rebus ideis atque cogitationibus ip-
sos effectus rerum æstimare atque dijudicare consueverint. Innume-
rorum figmentorum & comentorum maxima seges hac ratione ir-
repsit in omnes scientias artesque, quod infaustum fatum valde quo-
que experta multis abhinc retro seculis salutifera ars, rerumque natura-
lium scientia. Hinc laborandum utique est omni conatu ac studio,
ut ex tanto errorum abysso ac labyrintho, tantaque rerum super-
fluarum ac inutilium mole separemus, discernamus atque seligamus
verum ac rectum, quod profecto simplex, exiguum sed utilissimum est,
quod quicumque tenet, vere doctus ac sapiens appellari meretur. De-
lector itaque tuo animo Charissime Dn: HIENLINE ad veritatem vi-
dendam & capiendam aptissimo, nec non studiis tuis ex animo gra-
tulator, cum illa satis solida & ad veritatis scopum directa cognoscam.
Nil enim eorum intermisisti indefessa doctrina ac studio, cum apud
nos moratus est, quæ ullo modo accessionem ipsis fœnerari quæ tin-
gere ac perficere ingenium tuum satis capax poterant, Perge modo
qua cepisti via & alacritate persequi tua studia, ut matura & perfe-
cta tandem reddita, bonis non modo omnibus probentur, sed uberri-
mum quoque fructum Patriæ ac tuis afferant. Deus T. O. M. benedi-
ctione sua hæc omnia rata habeat atq; confirmet.



Ua 1659

ULB Halle 3
004 187 067




Faint handwritten text
Sb,
Nur für den Lesesaal

Retros V

1017







4
3

B. V.
PHYSICO-MEDICA
De
S CALO-
IRALIS ET
NATURALIS
RE NOSTRO,
Quam
NIFICENTISSIMO
INCIPE AC DOMINO
DN.
WILHELMO,
ENB. AC ELECTORATUS
, & reliqua,
SENSU
FACULT. MEDICÆ,
TORALI FRIDERICIANA
ÆSIDIO
ntisfimi atque Experientisfimi
CI HOFFMANNI
hil. Nat. P.P. Med. Elector. Aulici,
PTORIS AC HOSPITIS
QVE DEVENERANDI,
MDC IC. H.L. Q.C.
um examini exponet
CTOR
HIENLINUS, Efsling.
DREÆ ZEITLERI. Acad. Typogr.